





V A R I A
I V R I S M E L E T E M A T A

Q V A E
P R A E S I D E

ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO
K L V E G E L

PHIL. ET L. V. D. DIG. INF. ET NOVI P. P. O. CVRIAE
PROV. ELECT. SCAB. ET ORD. ICTORVM WITTENB.
IVDICII ITEM PROVINC. IN LVSATIAE INFER.
MARCH. ASSESSORE ORD. H. T. ACADEMIAE
WITTENB. RECTORE

DIE XXVII. SEPTEMBR. A. R. S. MDCCLXXXVII
IN AVDITORIO MAIORE

P R O
S V M M I S H O N O R I B V S I N V T R O Q V E I V R E
C O N S E Q V E N D I S

D E F E N S V R V S E S T

A V C T O R

IOANNES CAROLVS TRAVGOTT GLÜCK

S C H N E E B E R G E N S I S

I. V. C.

W I T T E N B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I .

32/

8

1787 4

V A R I A
I V R I S M E L L E M A T A

G V A E

I R A S I D E

ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO

K L V E G E L

PHILIPPUS D. D. DIE NESTET NOST. P. O. GYMNASII

PROF. PUBLICI SCIENT. ET HIST. P. O. GYMNASII WITTEBERG.

INVESTIT. P. O. GYMNASII WITTEBERG. IN P. O. GYMNASII WITTEBERG.

ANNO ASSUMPTO G. O. P. O. GYMNASII WITTEBERG.

WITTEBERG. RECTOR.

DIE XXVII. SEPTEMBER. A. R. S. MDCCCXXXVII

BY ANTONIO MAIORI

P R O

SAANIS HONORIBUS IN TROQUE IURE

C O S S E Q U A N D I S

P E D I M U S

A G T O R


HANNES CAROLUS FRAGOTT GLACK

CHRISTIANENSIS

D E T T E R B E R G

WITTEBERG. RECTOR.





Q. D. B. V.

I.

Is, qui in probatione utitur documentis lingua peregrina conceptis, praeter versionem interpretis iurati etiam originale exhibere tenetur.

Iubetur Producens in *O. P. R. S. T.* 25. §. 3. documenta, lingua peregrina conscripta, intra fatale probationis cum articulis per interpretem iuratum in linguam Germanicam translata exhibere et aduersarius ea recognoscere tenetur. Non immeri-

A 2

to



to igitur quaesiveris, vtrum, quae originalia appellare solemus, authenticorum exhibitio in termino productionis sit necessaria nec ne? Videtur quidem originalium non amplius ratio haberi, cum per dispositionem *O. P. R. S. l. c.* versioni legitime confectae plena fides tribuatur. Accidit praeterea saepius, vt nec ille, cui recognitio incumbit, nec iudex, linguam, in qua authenticum conceptum est, intelligat, et ideo versioni credere teneatur. Sed, his omnibus non obstantibus, quin producens in termino productionis originalia producere debeat, nulli dubitamus. Liberum enim est producto in disceptatione super attestata, si forte versio non ex fide facta, monere et vitia demonstrare, quod ipsi *O. P. R. S. l. c.* disertis verbis permittit. Quomodo autem hoc fieri poterit, si originalia deficiant? Quid etiam, si interpret forte pecunia corruptus falsam composuerit versionem? Nonne pleno iure audiendus est productus? Ex his igitur liquere puto necessariam originalium exhibitionem. Quod autem summum in hac re est, ad recognoscendam versionem non magis, quam ad copiae recognitionem cogi aduersarius potest. Potest interpretatio fida esse quam maxime, et, quod autographum dicitur, tamen falsum. Potest hoc saltem vitio aliquo laborare, vt, cum sit laceratum, scissum, aut alias in his, quae ad negotii naturam principalem pertinent, corruptum, quale ad recognoscendum inutile est.



II.

Femina Saxonica, quae durante matrimonio mutuum sine consensu mariti contraxit, et id post mariti mortem agnoscit, tenetur, licet agnitio sine curatore facta.

Expediti iuris est apud nos per *Const. El. 15. P. 2. et Mandat. de an. 1722.* quod subiunctum est *O. P. R. S. sub No. 12.* feminam sine consensu mariti durante matrimonio mutuum contrahere non posse et contra eam ne post mariti mortem quidem dari actionem, quamuis olim hac de re secus philosophati sint DD. *Berg. El. P. execut. pag. 21. Carpx. P. 2. C. 15. d. 14.* Excipit vero *Rescriptum de anno 1723. O. P. R. S. annexum,* casum, si creditor versionem in rem vxoris probare velit, ita tamen, vt quam curatissime, quibus modis et quomodo versio facta sit, in libello exprimatur. Porro Mandatum supra citatum creditori permittit vxorem conueniri, quae post obitum mariti vidua denuo debitum agnouit. Sed, num haec agnitio absque curatore facta validam reddat obligationem, dubio vacare non videtur. Equidem quod ad casum attinet, si vxor pro marito mortuo intercedat, siue quod idem est, eius debitum in se recipiat, renunciationem S^Ci Velleiani requirit *Ill. Winckler. ad Berg. Dec. iur. p. 453.* et quidem ex hac ratione, quod fideiuberet pro extraneo, heredibus scilicet mariti. Iam vero per *Decif. reg. 24. de anno 1746.* intercessionem et renunciationes seminarum non, nisi coram iudice factae, valent: ergo neces-





sario requiritur curatoris praesentia, licet *Dec. cit.* eius mentionem non faciat, quia iudicialia negotia a feminis sine curatore expediri non possunt. *Const. El. 15. P. 2.* Clarius quoque de renunciationibus feminarum iam extat dispositio in *Dec. El. 25.* Ex his adductis forte colligere posses, agnitionem mutui, ab vxore viuo sed inscio marito contracti, post eius mortem ab ea sola factam non sufficere, sed curatoris consensu opus esse. Ego vero persuasus sum, eius consensum prorsus esse superfluum. Primo enim aliud est, si vxor pro mutuo a marito contracto post eius mortem intercedit, et aliud plane, si mutuum, quod ipsa viuo marito contraxit, post huius mortem denuo agnoscit. Fac etiam cum *Ill. Winckl. ad Berg. l. c. vt* in priori casu renunciatio S^Ci Velleiani necessaria sit, ob rationem scilicet, quod pro extraneo, heredibus mariti, intercedit, et adeo praesentia curatoris requiratur, haec tamen ratio prorsus cessabit, si contractum mutui a se celebratum approbet, quippe qui actus plane non est intercessio, itaque ad hunc casum a fideiussione non potest deduci argumentum. Deinde vxor, mortuo marito, soluta fit. Feminae solutae vero per expressam legem, scilicet *Mandat. de anno 1722.* supra citatum, absque curatore se obligare et mutuum accipere possunt. Cur igitur vidua absque curatore mutuum, a se durante vinculo matrimonii contractum, non posset valide agnoscere, praesertim cum *Mand. cit.* in agnitione curatoris praesentiam non exigat. In nullo vero negotio femina opus habet curatore, in quo non a
lege



lege hoc est praescriptum. Sane perinde erit, ac si tanquam vi-
dua nouum mutuum contraxisset. Neque hic regula Catonia-
na obstat, quippe quae solum de vltimis voluntatibus accipien-
da. Sed magnam putares forte hoc modo feminam pati laesio-
nem: igitur ei esse succurrendum ob rationem legum genera-
lem in fauorem mulierum promulgatarum. Verum, si hanc
praetendere velimus rationem, vereor, vt femina possit mer-
catricem agere, atque vt cum *Bergero l. c.* loquar, ne penitus
a commercio sit excludenda.

III.

*Debitor, qui creditori suo diem solutionis non desiniuit, etiam
anno elapso in mora non constituitur, hinc demum a tem-
pore motae actionis vsuras seu interesse morae praestare
tenetur, saltem in processu executiuo.*

Quodsi ei, quod alter alteri debet, dies solutionis non est
praefinitus, iure communi quouis tempore creditum peti pot-
est. *In omnibus enim obligationibus, vt Pomponius ait: in L. 14.
D. de R. I. in quibus dies non ponitur, praesenti die debetur.* Hanc
ob causam non dubito, quin etiam ex documento, quod diem
solutionis non continet, iure communi executiue agi queat,
quamuis plerumque Doctores ob singulares processus executiui
rationes dissentiant, ceu videas apud *Bergerum in El. Proc. execut.*
p. 10. Iure Saxonico nostro multo minus hac de re dubium
superest



superest ob dispositionem *O. P. R. S. in app. §. 6.* quo sancitum, ut creditor ex chirographo, cui non inest terminus solutionis, post annum cum effectu agere possit. Quid vero, si creditor forsitan intra biennium aut longius tempus non agat, poteritne usuras petere post primum annum elapsum? Ratione primi anni, nisi promissas, non deberi, certum est, cum etiam hodie mutuum gratuitum praesumatur, *Leyseri Med. ad D. sp. 130. m. 3.* et usurae solum ex conventionem vel lege, vel denique ex mora debeantur. In mora vero debitor constituitur post interpellationem, si dies solutionis non sit definitus, *L. 32. D. de usur.* ita, ut extraiudicalem interpellationem sufficere existimem, quia lex iudicalem non exigit, nec opus, ut omne debitum per iudicis auxilium restituatur. Sed difficilior videtur quaestio, an iure Saxonico post annum debitor in mora constituatur, qui solutionem non in certum diem promisit? Et negative respondendum esse censeo. Conceditur enim *in §. 6. App. O. P. R. S.* creditori solummodo ius agendi aduersus debitorem anno elapso, ex quo hoc plane non est colligendum, debitorem ad interesse morae teneri, si creditor iure suo non utatur, sed potius debitor quoad usuras absolvendus est, cum per huius legis dispositionem in mora non constituatur. Quin ex hoc ipso, quod iure suo, anno praeterito agendi, usus non est creditor, id effici, manifestum videtur, voluisse eum debitori soluendi concedere dilationem. Et vix aliud erit dicendum, si debitorem creditor apud nos extraiudicialiter post annum interpellauit.

❧ ❧ ❧

9

pellauerit. Oportet enim iudicem in sententia, si dies solutionis non definitus, reum demum in vsuras seu interesse morae condemnare a tempore, quo actio fuit instituta. §. 10. *App. O. P. R. S.* Praeterea plerumque, quae extra iudicium fiunt, in eiusmodi causa liquido ita, quemadmodum in iudicio gesta, nequeunt demonstrari. Iam in executiuo processu omnia, prouti notissimum est, in continenti liquida esse debent. Quae cum ita sint, ne nimis debitoribus videar fauere, hoc exceptum volo, si extraiudicialis interpellatio ex liquidis documentis libello adiectis appareat, quo in casu, quin interpellatio illa debitorem in eam moram constituat, quae sufficiat ad condemnandum eum in executiuo processu ad soluendum interesse morae, et lex de vsuris supra laudata applicatione sua non destituatur, ambigendum non videtur.

IV.

Singularis accessionis fortuitae species.

Accessionem esse vel naturalem, vel industrialem, vel mixtam, vel fortuitam, DD. tradunt. vide *Ludouici Doctr. D. L. 41. T. 1.* Et variae quidem eius species enumerantur praeter fortuitam, ad quam solum thesaurum referunt. vide *Ludouici l. c. §. 24.* Sed, vt ego opinor, plures quoque dantur, praeter thesaurum, accessionis fortuitae species. Legi scilicet aliquando, quendam cambium amisisse, aliumque,



eo inuento, praevia solenni eius praesentatione ab acceptante pecuniam ex cambio debitam accepisse. Credidit autem hic inuentor hanc pecuniam lusu publico, quem lottariam vocant, et res feliciter successit. Acquisiuit enim per lulum publicum magnam pecuniae summam, et domino cambii eius pretii, quod valutam appellamus, duplum restituit, retento tamen reliquo, quod ex acquisita per fortunam lottariae pecunia supererat. Eritne vero, quaestio incidit, domino cambii, totam summam per lulum ab altero acquisitam, ius exigendi? Et eum quidem non omni desitui fundamento agendi, ex his, quae propositurus sum, planum faciam. Scilicet certissimi est iuris, omne, quod rei principali accedit quacunque ratione, secundum regulam nobis acquiri, et accessorium suum principale sequi. Nemo vero in dubium vocabit, pecuniae summam in specie proposita acquisitam, accessisse ad illam, quam ex cambio acceperat inuentor, et quae in bonis eius erat, qui amiserat cambium. Iam, si est accessio, ad aliam classem accessionis eam referre, quam fortuitam, non possumus. Quicquid enim ex lusu fortunae proficiscitur, non nisi fortunae debetur, cum nec operatio naturae, nec ars, aliquid addere possit. Omne lucrum autem inde eueniens ad eum pertinere, ad quem pecunia principalis pertinebat, ex natura accessionis facile colligitur, ita tamen, vt aliter conuentione statuere non sit prohibitum. Ex his igitur principiis iam satis elucescit fundamentum agendi domino cambii, cuius supra fecimus mentionem. Praeterea ve-



ro alia accedit ratio. Debuisset scilicet inuentor ob expressam legum dispositionem, quae habetur in *§. fin. l. de R. D. et L. 93. §. 4. D. de furtis.* cambium inuentum domino restituere, nisi voluisset furti teneri. Quomodo vero fur, tanquam malae fidei possessor, poterit fructus percipere? Nonne potius perceptos et percipiendos restituere tenetur? Nec est, quod obiicias, inuentorem esse causam solam illius accessionis, cum forte dominus illam pecuniam lusui non credidisset. Posse enim acquiri per alium etiam, non incognita iuris est dispositio. Ecce igitur singularem fortuitam accessionem. Verum tamen, non omni in hac causa eam sententiam carere dubio, concedo lubenter. Non enim nummorum, sed quantitatis tantum dominus erat, ad quem cambium iure pertinebat, neque ad chartam, in quo cambium erat scriptum, lucrum accedebat ex lusui, neque pretium cambii solui, indossatione deficiente, debebat.

V.

Non tenetur conductor e re conducta migrare, cui viua voce finem locationis indixit locator, si ex litteris, super contractum confectis, probari queat, illam indictionem in scriptis fieri debuisse.

Vidi aliquando scripturam, quae super contractum locationis conductionis confecta erat, in qua, praeter reliqua, haec verba occurrebant: Es ist aber Verpachter und Abpachter ver-



bunden, vor Ablauf der gesetzten 6 Jahre, dafern er den Contract nicht weiter continuiren will, selbigen ein halb Jahr zuvor **schriftlich** aufzukündigen. Denunciabat quoque secundum legem contractus locator conductori ante lapsum sexti anni, se non ulterius contractu inito velle teneri. Erat igitur denunciatio eatenus rite peracta, vt fieret intra tempus a partibus definitum. Sed immemor vocabuli **schriftlich**, quod in scriptura super contractum confecta conspiciebatur, solummodo viua voce locator conductori voluntatem suam declarauerat. Iam operae pretium videtur, inquirere, vtrum locator, finito locationis tempore, conductorem expellere potuisset? Nil interest, inquis forsitan, vtrum locator intentionem suam in scriptis, an verbis ore prolatis, exposuerit. Sufficit conductori hac de re intra tempus conuentum locatoris voluntatem innotuisse, nec vlla lege in eiusmodi denunciationibus scripturam requiri. Sed haec omnia me non mouent, vt affirmantis partes sequar. Primo enim pacta, si regulam sequimur, strictissimae sunt interpretationis, quia alias prorsus essent superflua. Deinde non sufficit, voluntatem suam declarare, sed opus est, vt legitime h. e. secundum formam praescriptam, siue haec sit a lege, siue a conuentione, determinata, declaretur. Cur enim, si aliter fieri posset, leges formam darent negotio et cur pacta inirentur? At tam leges, quam pacta, sunt seruanda. Et formam esse de essentia rei, vt a multis scriptum est, vel centum docent exempla. Ita, vt vno vtar, reus, cui citatio peremptoria per nuncium
 sacra-

sacramento ad illa negotia non adstrictum insinuatur, non habetur pro confesso. Tamen voluntas iudicis ipsi fuit notissima. Verum, cum ad necessaria legitimae citationis pertineat, traditam illam fuisse a iurato nuntio, contumacia non obtemperanti non nocet. Est quidem hoc etiam legibus comprehensum, ut forma, quam leges negotio dederunt, mutari nequeat, quam ob causam, pactis contractibus circa essentialia, ut loqui solent Icti, adiectis, plerumque nihil agitur. At enim vero partes ita pacisci posse, ut negotium non valeat, nisi scriptura accesserit, ex *pr. I. de emt. vendit.* manifestum est. Motus itaque his rationibus, in specie proposita pro conductore pronuncians, neque potuisse eum a locatore, finito conductio- nis tempore, expelli, tacitam potius contractam rursus fuisse locationem, existimo.

VI.

Non est iusta repudii causa si mater sponsae se interfecerit.

Quidam iuuenis puellae fidem de matrimonio legitime dederat. Antequam vero his sponsalibus benedictio sacerdotalis accedebat, accidit, ut mater sponsae se interficeret. Causa pro- piciidii prorsus ignorabatur. Lacrymas fundebat tam sponsus, quam sponsa, haec tamen tristior simul ob hanc causam, quia sponsus ob secutam matris autochiriam nuptias renuebat, atque



hanc tanquam iustam repudii causam allegabat, nisi praesertim hac ratione, quod per illud delictum, a matre sponsae commissum, quodammodo in eum tanquam futurum sponsae maritum et familiam suam ignominia et quasi infamia quaedam redundaret. Sed quis est, qui non videat, rationes repudii a sponso allegatas spurias esse atque imaginarias. Prorsus iniquum est, delictum matris filiae imputari, cum delicta teneant suos autores. Neque hic obiicias *L. 5. ad L. Iul. Maieft.* quippe quae, tanquam maxime singularis, interpretationem extensivam non admittit. Nullibi porro sancitum legimus, per autochiriam matris in filiam eiusque maritum aut huius familiam ignominiam redundare, multo minus inde infamiae cuiusdam notam nasci. Somniat forte haec infimae sex plebis, cui tamen iura nostra non adstipulantur. Quis vnquam vidit filium ob matris proprecidium ab honoribus remotum aut ad eos non admissum? Multo igitur minus haec sola iusta erit, nisi alia accedant, repudii causa. Hoc enim inficias ire nolo, posse sponsalia resolveri, quod si ob id matris factum sponsi refrixerit in sponsam amor. Quotiescunque enim, matrimonium futurum fore infustum, metus est, nemo aequus arbiter repudio non dabit locum.



VII.

*Domus communis inscio et inuito socio valide
venditur.*

Anceps sane videtur quaestio, vtrum is, qui cum altero domum communem habet, partem suam inscio et inuito socio per modum emtionis in extraneum possit transferre. Neque desunt dubitandi rationes. Et primo quidem *Caius in L. 8. D. de S. P. V. parietem*, ait, *qui naturali ratione communis est, alterutri vicinorum demoliendi eum et reficiendi ius non est, quia non solus dominus est.* Hic igitur Caius ad demoliendum vel reficiendum parietem communem vtriusque vicini consensum requirit. Porro *vnus ex dominis communium aedium seruitutem non imponere potest*, quae sunt verba *Vlpiani in L. 2. D. de seruitut.* ne quoad partem quidem suam. *L. 6. D. comm. praed.* Neque locatio rei communis inconsulto socio permissa videtur ob rationem, quam adducit *Vlpianus in L. 6. §. 2. D. commun. diuid. quia videtur*, ait, *partem suam (scilicet socius) non potuisse expedite locare.* Accedit socium non posse alteri obtrudi. *Qui admittitur*, inquit *Vlpianus in L. 19. D. pro socio. socius, et tantum socius est, qui admittit et recte.* Cum enim societas consensu contrahatur, socius mihi esse non potest, quem ego socium esse nolui: quid ergo, si socius meus eum admittit? *ei soli socius est.* adde *L. 20. D. eod.* Deinde per diuisionem hereditatis ignoranti et absenti non debet praecudicari *L. 17. C. famit. ercisc.* socio tamen graeudicium aliquod videtur procul dubio



bio inferri, si domus communis sine eius consensu vendatur. Maximum denique scrupulum affert Sabinus in *L. 28. D. commun. diuid.* vbi dicit: *in re communi neminem dominorum iure facere quicquam inuito altero posse, unde manifestum est, prohibendi ius esse: in re enim pari potiore esse causam prohibentis constat.* Ex hac lege colligendum videtur, in quacunq; alienatione rei communis condomini consensum esse necessarium. Sed salua res est. Et quod attinet quidem ad *L. 8. D. de S. P. V.* respondeo, huius dispositionem ad casum praesentem trahi non posse, cum aliud sit, partem aedificii, salua parte focii, in alterum transferre, et aliud, parietem demoliri et reficere communem sine eius consensu, quia hoc casu eius pars aedificii forte non manet incolumnis atque fulcris opus esse coepit. Deinde quoque non obstat *L. 2. D. de seruit. et L. 6. §. 1. D. comm. praed.* Alia enim certe ratio est, si pars praedii vendatur, et alia, si in ipsa seruitus constituatur, cum per partes nec seruitus imponi nec acquiri possit. *L. 6. §. 1. D. comm. praed.* quod in venditione secus est. Porro non obest *L. 6. §. 2. D. commun. diuid.* quippe quae ipsa locationem rei communis indulget, ita tamen, vt, si non societatis, sed proprio nomine, vt solus lucrum haberet, socius locauerit, ipse damnum solus ferre teneatur. Immo, cum conductori rem conductam inconsulto locatore sublocare liceat *L. 6. C. locat.* cur hoc socio, quoad partem suam, tanquam domino non liceat? Neque obiciat *L. 19 et 20. pro soc.* quae non patitur, socium socio obtrudi. Rescripserunt enim *Impp. in L. ult. C. comm. diuid.* neminem compelli



PELLI in communione vel societate inuitum detineri. Accedit, ut renunciatione eaque vel expressa, vel tacita, finiatur societas. vide *L. 5. C. pro soc.* vbi: *tandiu societas durat, quamdiu consensus partium integer perseverat.* Proinde, si iam tibi pro socio nata actio, eam inferre apud eum, cuius super ea re notio est, non prohiberis. Exemplum tacitae renunciationis legitur in *L. 6. §. 1. D. pro soc.* Neque aduersatur argumentum opinioni meae ex *L. 17. C. famil. ercis.* desumptum, cum ibi solum dicatur ius heredis absentis et ignorantis saluum esse, licet reliqui coheredes hereditatem inter se diuiserint idque ipsi non esse praeiudicio. Tollit denique serupulum, quem Sabinus in *L. 28. D. com. diuid.* mouet, partim *L. 68. D. pro soc.* vbi socius plus, quam suam partem alienare prohibetur, partim vero *L. 1. C. comm. diuid.* in qua Imp. Antoninus haec rescribit: *Frater tuus, si solam portionem praedii ad se pertinentem distraxit, venditionem reuocari non oportet, sed aduersus eum, cum quo tibi idem praedium commune esse coepit, communi diuidendo consistit.* — Confer praeterea *L. 3. eod.* vbi haec: — *Nam ea, quorum partem is (socius) vendidit, cum emtoribus tibi communia sunt, et aduersus singulos arbitrum petere debes, si ab illorum societate discendi placeat.* — Ex his omnibus satis liquet, venditionem domus communis licitam esse et permisam, etsi inconsulto etiam socio facta. Ecce quoque responsum Scabinorum Lipsiensium in



Philippi tract. de subhaft. cap. 3. com. 4. n. 16. vbi heredi ius reuocandi quoad partem domus alienatae solummodo conceditur. Praeterea in L. 3. C. de commun. rerum alienat. rescribunt Impp. Dioclet. et Maxim. falso tibi persuasum est, communis praedii portionem pro indiuiso, antequam communi diuidendo iudicium dicatur, tantum socio, non etiam extraneo, posse distrahi. Ex quo simul apparet, vt probe obseruauit Brunnem. ad hanc legem, sociis nullum esse ius protimiseos. Neque contrarium probatur ex 5. F. 13. quod fufe deducit Stryk in V. M. D. L. 18. Tit. 1. §. 16. Licet nonnulli dissentiant, quos vide sis apud Brunnem. l. c. Sic quoque Carpz. P. 3. c. 15. d. 34 statuit illi fundum communem adiudicandum esse in diuisione, qui maiorem partem habet. Sin nimis incommoda videatur diuisio domus inter socios, qui aliquando domum communem velint possidere, ita, vt cuilibet portio sua separata fit, discimus, hoc fieri posse ex L. 1. C. comm. diuid. vbi haec verba occurrunt: — Quodsi diuisio praedii sine cuiusquam iniuria commode fieri potuerit, portionem suis finibus tibi adiudicatam possidebis. — Fit igitur diuisio muris et parietibus domui communi interiectis, eiusque exempla interdum conspiciuntur. Quin in pago quodam feudali in Wittenbergae vicinia in domo habitationi dynastarum destinata, vestibulis et scalis in communione relictis hypocausta et reliqua conclauiam

ex

ex utroque latere diuisa fuisse, nemo rerum huius regionis non
 ignarus nescit. Fit etiam mentio domus inter socios actu di-
 uisae in *L. 6. §. 1. D. comm. praedior.* nec non putei diuisi in
L. 4. D. commun. diuid. Neque apud nos obstat pertinentiarum
 prohibita alienatio, de qua plura exhibet Mandata et Rescripta
Berger in oecon. iur. pag. 161. cum domus parietibus diuisa,
 ex sententia *Vlpiani in L. 6. §. 1. D. comm. praedior.* pro duabus
 domibus accipi debeat. Ergo pars domus socio competens
 non pertinentiae, sed fundi separati eiusque principalis nomi-
 ne commode venire potest. Nil denique interest, utrum do-
 mus, de cuius alienatione dixi, voluntate dominorum v. c.
 conuentione, an casu, puta hereditate facta sit communis.
L. 2. D. comm. diu. L. 34. D. pr. soc. Tandem non solum socius
 quoad suam ratam potest vendere rem communem, sed etiam
 donare *L. 12. C. de donat.* oppignorare *L. un. C. si res commun.*
pignor. et pecuniam communem mutuo dare. Ex illo autem,
 quod licet socio donare partem suam, multo fit manifestius,
 ius venditioni contradicendi non esse socio, cui ipsi alter, qui
 suam partem gratis in amicum aliquem transfert utique non vult
 donare, alium, quem adeo diligit, ut munere dignum habeat,
 praefereus. Qui enim potest donare, multo magis potest ven-
 dere. Quamobrem socio neque retractus ex iure congrui,



quod speciale tantum est, et ad certas tantummodo prouincias pertinet, *Carpz. in def. for. P. 2. C. 31. d. 3.* neque alius, quod praeiudicio confirmat *Mencken in Pand. L. XVIII. T. I. §. 40.* concessus est, neque, nisi protimisin ex conuentione vel testamento habeat, impedire venditionem extraneo non socio factam potest. Hoc omne tamen ita temperandum est, vt, postquam socius in iudicio ad diuisionem rei communiis prouocauit, socius amplius partem suam alienare prohibeatur *L. I. in fin. C. comm. diuid.*

VIII.

Qui sciens puellam duxit, quae ante matrimonium fatetur, se unicum stuprum commississe, non potest agere, vt nuptiae pro nullis declarantur, si postea certior fiat, eam bis esse stupratam.

Ob defectum virginitatis, flagitante marito, matrimonium pro nullo posse declarari, communis est DD. opinio, *Stryk ad Brunnem. ius eccl. L. 2. C. 17. §. 25. Berg. oecon. iur. p. 79. N. 3.* ita, vt etiam aliquot exactis annis vxor posset dimitti, *Leysfer. Med. ad D. sp. 315. m. 11.* dummodo iuret maritus, stuprum ipsi non innotuisse, seque postea, quam innotuit cum vxore non cohabitasse. *Berg. l. c.* Si quis igitur scienter stupratam



pratam ducat, non potest agere, vt matrimonium pro nullo
decretetur, cum eo ipfo iuri suo renunciet, ficut nec emtor
vti potest actione ex aedilitio edicto, cui venditor vitia inui-
fabilia praedixit. Aft finge maritum, fcienter fupratam du-
xiffe, eam tamen de vnico tantum fupro perpeffo eum reddi-
diffe certiozem, poft benedictionem vero facerdotalem marito
probari, eam bis efle fupratam. Eritne ipfi ius agendi, vt ma-
trimonium pro nullo decretetur? Vix fperanda erit fententia,
quae eius votis refpondeat. Neque enim ratio, quam pro
nullitatis matrimonii declaratione adferunt; fi quis ignorans de-
floratam pro virgine duxerit, ad cafum praefentem applicari
poffe videtur. Statuunt fcilicet errorem circa virginitatem,
feu potius caftitatem commiffum excludere confenfum matri-
monialem, atque matrimonium ob dolum feminae pro nullo
decretari. *Leyfer. Med. ad D. l. c.* Aft in hac, quam attuli, fpe-
cie, praedixerat femina futuro marito, fe non fuiffe caftam,
fed fuprum efle perpeffum. Igitur, cum eam nihilominus du-
cat, hoc facto fatis declarat, fe qualitatem virginalis vxoris
futurac parum curare. Ecce igitur eius confenfum matri-
monialem. Nec ea, quae *Leyfer* de dolo difputat, ad praefen-
tem cafum pertinere videntur. *Denique enim, ait, femina tale*
vitium difsimulans verfatur in dolo dante caufam contractui, qui pro-
inde merito refcinditur. Verum in fpecie propofita dolus femi-
nae



nae non causam dedit contractui, cum vitium praedixerit, qui potius solum incidens est, ob quem negotium non rescinditur. *arg. L. 13. §. 4. et 5. D. d. act. emt.* Nec licebit marito quasi actionem quanti minoris mouere, cum haec locum non habeat, si res emta vtilitatem speratam adhuc praestet. Neque sibi potest maritus persuadere, se loco defloratae meretricem accepisse, quia ea, quae bis compressa, meretrix dici nequit. Tandem memor sit eiusmodi maritus fauoris matrimonii, et in dubio pro matrimonio pronuciari. Potest quoque sequi ius canonicum, si quid in eo praesidii est, et credere id ipsi prodesse in remissionem peccatorum. *C. 10. X. de spons.* Haec tamen in primis accipienda esse, cum per nuda colloquia inter sponsum et sponsam de vnico stupro fuerit negotium. Etenim, si conditionata fuerint sponsalia, neque remissio aliqua alterius stupri insecuta sit, an secundum maritum tamen non sit ferenda sententia, anceps haereo.

IX.

Praesumptio versionis dotis illatae in feudum, contrarii probationem non excludit.

Communis fere, saltem in Saxonia, est DD. sententia, non opus esse probatione versionis in rem, si mulier, quae dotalitium



talitium petat, illationem dotis probauerit, et ideo versionem praesumi. *Wernh. P. 2. Obs. 432. et suppl. 364. Carpz. P. 2. C. 44. d. 9. n. 7.* Ast finge successorem feudalem v. c. simultaneae inuestitum probare velle, dotem ab vxore illatam a marito v. c. ludendo esse perditam atque non in feudum versam, eritne ipsi haec probatio licita? Equidem eum esse audientum existimo. Quaelibet enim praesumptio, si excipias praesumptionem iuris et de iure, admittit contrarii probationem *L. 24. D. de prob. Berg. oecon. p. 758.* Haec praesumptio vero solum iuris est, cum nullibi ad praesumptiones iuris et de iure referatur, et hinc non est, quod anomaliam statuamus, immo si verum dicere fas est, praesumptio versionis illatae dotis in feudum ne est quidem praesumptio iuris, sed magis praxi Saxonica, quam lege, nititur. Cum vero obligatio successoris feudi, dotalitium viduae vasalli constituendi, teste *Carpz. l. c. et Ill. Boehmero in print. iur. feud. §. 327.* solum ex versione dotis in vtilitatem feudi proficiscatur, aequissimum est, eum a constitutione dotalitii liberari, si possit probare, dotem non esse in vtilitatem feudi collocatam. Cessante enim causa, cessat quoque effectus. Nec est, quod obiicias, vxorem hoc modo maximum sentire damnum, scilicet dote priuari, nec post mariti mortem habere, vnde possit alimenta petere. Etenim cur successor feudi alimenta debeat vasalli viduae praestare,
cum



cum hic feudum non ex beneficio vassalli, sed ex pacto et providentia maiorum accipiat? Et cur vidua vassalli damno simultanee inuestiti debeat fieri locupletior? Neque vxor, quae dotem a marito dissipari patitur, ab omni culpa videtur aliena, cum ipsa tunc, si maritus ad inopiam vergat, durante quoque matrimonio, dotem repetere non prohibeatur. *L. 24. D. solut. matrimon. dos quemadm.* Defendit quoque meam sententiam *Illustr. Püttmann in Element. Iur. feud. §. 533.*



Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle


004 335 899



3

f
Sl.





B.I.G.

Farbkarte #13



33. / 8
1784 4

A R I A
E L E T E M A T A
Q V A E
A E S I D E
O F R E D O C H R I S T I A N O
V E G E L

INF. ET NOVI P. P. O. CVRIAE
ET ORD. ICTORVM WITTENB.
OVINC. IN LVSATIAE INFER.
ORE ORD. H. T. ACADEMIAE
TENB. RECTORE
BR. A. R. S. MDCCLXXXVII
TORIO MAIORE
P R O
BVS IN VTROQVE IVRE
E Q V E N D I S
E N S V R V S E S T
A V C T O R
L V S T R A V G O T T G L Ü C K
E E B E R G E N S I S
I. V. C.
TENBERGAE
LI CHRISTIANI DÜRRII.

